

Johann Nicolaus Tetens

**Qvvm Natalis Friderici Serenissimi Dvcis Regnantis Mecklebvrgici ... V. Idvvm
Novembris MDCCLXVI. Favste Redibat Hvnc Diem In Paedagogio Dvcali Hvivs
Loci Pie Celebrandvm Indicebat**

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1766]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn169865121X>

Druck Freier  Zugang



1766

QVVM NATALIS
FRIDERICI

SERENISSIMI DVCIS REGNANTIS
MECKLEBVRGICI

PRINCIPIS VANDALIAE SVERINI AC RACEBURGI
COMITIS SVERINENSIS

TERRARVM ROSTOCHII ATQVE STAR-
GARDIAE DOMINI

DVCIS AC DOMINI NOSTRI
CLEMENTISSIMI

V. IDVVM NOVEMBRIS MDCCLXVI.

FAVSTE REDIBAT

HVNC DIEM


IN PAEDAGOGIO DVCALI HVIVS LOCI

PIE CELEBRANDVM

INDICEBAT


IOANNES NICOLAUS TETENS

PHYSIC. PROF. P. O. PAEDAGOGII DVCALIS DIRECTOR
Ac H. A. RECTOR.




BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.



b.





ERENISSIMI NOSTRI DVCIS REGNAN-
TIS Natalis denuo affulgens pie deuote-
que iterum a nobis quoque celebrandus
est. Idque quidem non ipsius *Principis*
caussa, qui amari a suis colique magis cu-
rat quam praedicari: sed nostrum potius gratia, quo nempe ad
pietatem nos inuicem excitemus & ad gratias *Diinae Prouiden-*
tiae reddendas, quod DVCEM conseruat incolumem, cuius in-
defessis studiis quouis anno statum ciuitatis videmus in melio-
rem conuersum, quique cum pietati virtutique ciuium intentus
est, curat omnia.

Atque hanc diei illius celebrationem, deuotam magis
quam splendidam indicens, quouis scholae nostrae fautores
omni,



omni, qua par est, obseruantia, inuito rogoque, vt praesentes gaudii nostri pii esse testes, adiutores, aliquaque ex parte socii velint beneuole.

Haec autem facienti mihi pauca alia liceat addere, differereque breuiter, „de ratione in scholis publicis docendi, sic „quidem, vt quamquam discipuli adsunt numero plures, ingenio „& profectibus diuersi, ab vno magistro simul instituendi, non „minus tamen singuli proficiant, quam si quisque priuatim edo- „ceatur. Quae res quidem, si aliena est a praesenti negotio, exilisque si cum illo conferatur, non tamen omnino attentione eorum, quibus scholae curae sunt, indigna. Nec adeo inconcinuus illi in plagellis hisce conceditur locus: moris enim est & apud eruditos & apud populum, cum programmatis & sermonibus, ad actum solemnem inuitant, adiciere alia, ad rem illam principem quidem non facientia, at quae tamen vtilia data quasi occasione proferuntur. Et hanc quidem consuetudinem, quod in transitu dixisse velim, non adeo perstringi debere, vti id visum fuit ante aliquot annos viro cuidam celeberrimo, ego quidem arbitror, aliosque arbitratos puto, quibus ad excusandum quam ad carpendum propensius est ingenium.

Illam autem rem, quam proposui, plures discentes in scholis publicis sic esse instituendos, vt singuli simul eosdem faciant progressus quos secissent seorsim edocti, plurimos omnino fieri non posse, existimatos esse scio. Ex eo enim argumentum, quo praestantiam institutionis priuatae pro publica in scholis asserunt, solet duci: non posse in multitudine discipulorum obseruari singulos, nec iis semper proponi, quae cuique maxime accommodata sint; si enim, cum sunt ingenio & doctrina diuersi, rudibus & obtusioribus detur opera, detineri magis prouectos & alacriores, in leuioribus & notis; si hisce proponantur conuenientia, illis iterum dari otium, aut aliena agendo
horas



horas terendi occasionem: haec contra omnia vitari in institutione priuata, vno, duobus aut saltem paucis eadem institutione simul vtentibus: hic enim praeceptorem singulis posse instare, singulos admonere, excitare, cauereque ne cuiusuis animus aut segnitie soluatur aut vagetur alienis: quare quoque omnia, quae proponantur, solertius audita altius & tenacius memoriae infigi: & breuiori tempore rerum verborumque copia adolentes locupletari. Atque idem, addunt, experientiam exemplis docere: illos enim, qui priuatim domi eruditi sint, multo breuiori tempore illis imbutos inueniri notitiis, quibus in scholis publicis vix duplum annorum spatium suffecisset.

Negari nequit; hoc morbo institutionem publicam in scholis plerumque laborare; num autem tam arcte illi inhaereat, aut naturae eius sit consequens vt ab illo liberari nulla queat ratione, nulla docentium diligentia, neque villo alio remedio, quod in potestate est eorum, qui institutionis curam gerunt, hoc quidem est quod discutiendi hic cepi consilium.

Initio autem, quantum ad argumentum ab exemplis ductum, monendum esse duco, nil quidem in eiusmodi rebus, qualis est scholarum constitutio atque emendatio, magis consulendum esse quam experientiam, at nil quoque saepius falso citari. Quid enim frequentius, quam ea, quae non sunt, habere pro illis, quae esse nequeunt, quia forsitan ea esse nolumus; aut ea, quae efficere non licet socorditer agentibus, credere neque praestari posse a solertibus? Nolo quidem quicquam derogari illi vitae magistrae scientiarumque matri: sic enim dicitur, eodem scilicet jure, quo ligna atque lapides aedificii ex illis exstruendi salutarentur parentes. Id autem contendere posse arbitror, in negotiis gerendis ad experientiam solam conformanda non esse consilia, nisi iungatur accurata rei ipsius constituendae consideratio. Quotiens enim quaeritur, quonam modo



modo res *possit esse* potius quam qua ratione sese iamiam habeat, quibusque causis sic, uti debet esse, queat effici, euentuum quidem rationem omnino haberi debere, caret dubio, at non minorem quoque rei ipsius huiusque naturae vere distincteque perspectae. Sunt utriusque suae partes; modo huius maiores: modo illius: neutra tamen ullibi negligenda. Quemadmodum enim illos, qui experimentis iusta minorem, maiorem rationibus suis habent fidem, ad vana sibi persuadenda procliuiores fieri solere videmus: sic vsus contra, *efficacissimus rerum omnium magister*, uti *PLINIVS* vocat, si non rerum accedat meditatio, empiricum facit, nunquam prudentem, qui, ut verbis *Liuianis* utar, *multa, quae natura impedita sunt, consilio sciat expedire*. Verum quidem, experimentis optime credi, uti vulgo habetur, at monstrantibus viam; rationis autem est, diiudicare num veram aut falsam! illam inire & ad metam ducere. Haec vero partim obiter dicta, quo faciliora intellectu, eo difficilius in vita obseruantur.

Praemissis illis, quibus constituitur norma, ad quam reliqua, quae dicenda sunt, exigi atque diiudicari oporteat, in ipsa re exponenda mihi licebit esse breuiori. Diuidamus autem illam, & partite ante quae in ratione docendi publica obueniunt difficultates, consideremus, quam quid omnes simul queant efficere. Sunt autem duo hic maxime considerata: primo nempe, *multitudo discipulorum* simul vnaque vice erudiendorum; deinde *diuersitas eorum*, cum ingenii & cupiditatis discendi, tum doctrinarum quibus iam imbuti sunt. Horum autem illud primo separemus, idque sumamus solum adesse altero seposito.

Quodsi itaque omnes, quotquot demum sint eadem hora ab eodem praeceptore instituendi, aequae in litteris sint versati, eademque & ingenii & memoriae, quae in linguis addiscen-



scendis exercetur praecipue, vi valeant, eademque omnium sit diligentia: nemo est qui dubitet, quin vnus institutio sit simul reliquorum, & eadem, quae illi dicantur, proficua fore singulis, id modo si queat effici, vt eadem quoque singulis sit animi intensio, neque haec minor in plurium quam paucorum condiscipulorum praesentia.

Atqui hic quidem nodum latere dicent, idque recte, quem soluere oporteat: non enim cum adultis sed cum pueris rem esse in scholis, quorum phantasia mobilis & vaga, facile se diffundens per aliena, nunquam fere sponte eiusdem rei considerationi diutius & intense inhaereat; continuo excitari, & a deuiis ad rectam viam reduci haec iuuenilia ingenia necesse esse. Haec autem in singulis num aequae effici possunt a magistro, vbi pluribus simul, quam si vni alteriue soli opera danda est?

Omnino illud fieri potest ex mea quidem sententia, & dilucidius id apparituum existimo, si quaenam remedia in hunc finem adhiberi oporteat, exposuerim.

Primo autem volo magistrum adesse animo alacrem; licet forsitan minori doctrinae copia, solertisque ingenii, qui praesens esse queat, & rei quam docet & pueris docendis; qui oculos & animum singulis aduertere, obseruare illos, & vultu honesto grauique, (non autem tristiori, paedagogi, qualis *Thraseae* apud *Suetonium*,) aut nutu capitis admonere sciat atque excitare. Tardi enim torpentisque ingenii homines a scholis publicis velim arceri; sicuti senes, & sensuum hebetudine laborantes, doctissimos licet, nec minus, qui alienis meditationibus facile animum implicant, ideoque absentia cogitantes praesentia non animaduertunt, ad alia potius negotia adhibendos esse arbitror, quam ad puerorum institutionem.

Novam



Nouam quidem, dicit, difficultatem. Rarissimi enim eiusmodi docendi magistri. Non diffiteor, at dicam de hac re infra pluribus.

Secundo vero loco id exigo, ne multitudo discipulorum simul ab vno magistro erudiendorum sit nimis magna. Statuantur limites. Certum autem numerum in vniuersum definire prohibet tam diuersa docentium exercitatio, cum hic pluribus ille paucis tantum obseruandis par sit, quam discipulorum diuersa indoles & aetas, quae quo minus prouecta est, eo difficilius illi sua sponte animi vires intendunt; & denique rerum quae docendae sunt, diuersitas: aliae enim aliis fortius mentem alliciunt: maxime quae in sensus incurrunt; minime linguarum vocabula. Sedecim autem & vel viginti pueris, neque id multa cum molestia, sufficiet praeceptor negotio suo intentus, si paululum in sequentibus obseruandis exercitatus est.

Primo oportet magistrum in scholis in eo sedem suam collocare loco, ex quo omnes vno aspectu perlustrare discipulos obseruareque vultus eorum queat. Laudarem hunc in finem mensam figurae orbicularis, qualem adhiberi solent nummis pluribus numerandis, (Zahltsche), ad cuius orbem circumseadet docens cum discipulis, quo ad hos singulos ille oculos possit circumferre. Atque hanc sedem saepius immutat, huic vel illi propius sese admoturus, quo praesentem eum, & vbique & omnibus, discipuli sentiant. Leuissimum quidem videtur, de sella praeceptoris praecipere; at sic non iudicabunt, qui institutioni iuuenum saepius interfuerunt, videruntque quam aptam aut otiosi aut lasciuiendi occasionem subministrat magistri sedes, in sella aut nimis remota aut ita posita, vt oculos eius plurimi effugiant.

Dein-

Deinde quoque in ipsa institutione hoc caueat, ne exercens discipulos interrogando aut alios illis imponendo labores, certum fixumque vel aetatis vel profectuum sequatur ordinem; sic potius agat, vt modo hunc, modo alium aggrediatur, vt nemo securus, quisque ad respondendum & agendum sit promptus. Hanc enim solam obseruet regulam, vt veniat quidem ad omnes, saepius autem ad illos, quos socordes magis, aut alienis distentos animaduertit. Atque praeter haec si sciat, cum alterum discipulorum alterius laboribus praeficere, sibi que quasi in docendo adfiscere socium, vt alter alterum obseruet corrigatque, tum stimulos addere aemulis, ipso euentu docebitur, tantum abesse, vt vnus institutio profectibus alterius impedimento sit, vt potius alter alterum excitet & adiuuetur; &, quod societatis rite gubernatae vis est, vt quisque non propria solum sed aliena quoque diligentia proficiat.

Veniamus nunc ad diuersitatem discipulorum, atque ante consideremus illam, qua vnus altero maiores in eodem studiorum genere iam fecit progressus. Atque hic quidem negari nequit, magno id plerumque esse solere impedimento, quo minus omnes aequae in scholis publicis proficiant ac in priuata institutione, quod pluribus simul opera danda est, quorum parti quae conducunt, a reliquis aut capi nequeant, aut quia nimis nota ac frequentia, nulla vtilitate audiantur.

Huic autem incommodo distributione discipulorum in classes, vti vocant, seu ordines certos, obuiam iri solet. Nec id remedium, quamquam rem non conficit, frustra, si rite, adhibetur. Necessae autem est, in ordinibus eiusmodi constituendis, in plerisque saltem, hanc obseruari legem „*ne ad eundem ordinem referantur, nisi quibus iidem & communes decentium labores vsui sint*„. Sic enim agendum, vt eadem ex-



ercitationes, rudibus & inferioribus inseruiant ad discenda ante ignota, magis prouectis ad consuetudinem in iisdem contrahendam. Quare quoque discipulum in operis, quae ordini suo sunt propriae, eo vsque versatum, vt nimis faciles ei esse incipiant, in superiorem alium oportet transferri: nec tunc diutius detineri, quoniam in posteriori hoc eadem, quae in inferiori didicerit, repetendi numquam deest occasio, cauendumque aequane nimis facilibus otio assuescat, ac ne nimis difficilibus deterreatur. Aliter autem iudicandum de classe vltima, ex qua dimittendus ante non est, quam firmata satis rerum ibi discendarum intelligentia.

Duo autem vel tres in quocunque studiorum genere sufficerent eiusmodi ordines, nisi multitudo erudiendorum, aetatis & ingenii diuersitas, plures in scholis requirerent.

Plerumque, dixi, secundum illam quam proposui, regulam, discentes esse in classes distribuendos; in quibusdam ne tanta quidem discipulorum similitudine opus est. e. c. in *Calliographia*, vna & qui quam nitidissime litteras pingit, & qui prima lineamenta ducit, eodem praeceptore commode vtuntur; sola hic multitudo discendum vitanda. Et idem, ex parte saltem, de *Arithmetices* vsu habet locum: horum enim studiorum alia est ratio quam linguarum & similium: in his enim discipuli singuli propriis progrediuntur viribus, obseruante solum & dirigente cursum magistro; in aliis autem prouehi illos a praeceptore necesse est.

Ordinibus igitur sic constitutis, omnis discendum eiusdem classis diuersitas, quantum ad profectus, in eo erit posita, vt eadem, quibus omnes occupati sunt, alii perfectius, celerius,

lerius, sponte magis sua praestare valeant, alii non nisi mendose, nisi maiori opera & adiuuante praeceptore.

Res itaque redit ad institutionis rationem, maximeque cauendum, ne discentium alter alteri impedimento sit. Quo autem hoc euitetur, hanc, quam rei natura praescripsisse, experimenta confirmasse mihi videntur, magistro sequendam commendo regulam: *saepissime agat cum tironibus; sic autem, tanquam solos prouectiores erudire debeat.* Rem enim hebetioribus subiiciendam oculis propius ad eos oportet admoueri, cum magis acuti aequae clare e longinquo eandem conspiciant: simillime in scholis prouectiores qui sunt, aut cognitione aut aetate, nec non ingenio praestantes, aequae proficere queunt, diligenter ea audiendo, quae caeteris a magistro dicuntur, rudes contra, iuniores & hebetiores saepius virgeri, interrogari, & ad legendum aut eloquendum illa, quae discere debeant, compelli oportet. Non autem haec ita intelligenda, ut negligi velim perfectiores, & sibi solis permitti: neutiquam, cauenda enim animi remissio in omnibus, uti supra praecepi; prudentis autem magistri est, communi fonte singulas irrigare areas, at eo largius, quo aridiores sint & quo maiorem humorum copiam desiderent.

Ne vero quis, concedens nobis, satis hac quidem ratione prospectum esse imbecillioribus ingeniis, obiiciat simul, minus consultum magis excitatis; illisque cum addatur calcar, hisce simul imponi frenum; hos enim, qui vnica vice dicta praeceptoris capere, atque ad alia & maiora possent progredi, opperiri iam oportere intelligentiam illorum; sicque impetum alterius retineri aliorum lentitudine: haec quoque ne queant poni, sequentem addam admonitionem.

b 2

Quan-

Quaquam in tironibus cuiusvis ordinis docendis maxime occupatus sit magister, ea tamen, quae proponit, conducere oportet omnibus. Deinde vero, ut in iisdem rebus vsque eo semper haereat, quo ab omnibus, & hebetioribus, sint perspecta memoriaeque impressa, nec opus est, nec fieri debet. Sic enim tirones instituendos esse dixi, tanquam agendum esset cum solis provectioribus. Quodsi igitur docens viderit ab aliorum ingenii discipulis rem iamiam comprehendere, quod interrogando experiatur, longior in illa esse non debet, sed progredi potius ad alia. Atque hac quidem ratione, hisce nullam nequam moram in aprico est; neque tamen minus illis utilis erit opera: semper enim aliquid haeret, si vel plurima elabuntur; & cum saepius eadem, & verba & res, recurrant, non dubium, quin semina prima vice sparsa, pullulent altera, & tertia euri-
descant.

Hac igitur ratione si agatur, ingenii quoque imbecillitas in quibusdam, non aliud in scholis publicis adferre poterit incommodum, quam in priuata institutione. Tam enim hic, quam illic, id eius est consequens, ut eiusmodi pueri diutius in eodem studiorum genere eademque in classe haereant: ob longius tempus, quod ad contrahendam consuetudinem in huius classis exercitationibus ab illis impendendum est.

Ad calcem scripti iam venio, at vero ad caput rei. Constare equidem ex dictis arbitror, iuvenes in scholis publicis aeque in disciplinis posse proficere, eodemque tempore, quam id fieri potuisset in institutione priuata; neque hoc multitudine eorum impediri, neque diuersitate, modo ducem habeant, magis prudentem & in docendo exercitatum. Hoc autem opus est, si regularum expositarum aliquis esse debeat usus. Et cum eiusmodi viri non adeo frequentes sint, negari nequit,
maxi-

maximum inde institutioni publicae obiici impedimentum. Fa-
tendum enim, non mediocri ingenii prudentiaeque eum esse
oportere, qui expositam instituendi rationem sectari possit;
nec languidae probitatis, qui velit: maxime cum scholastico mu-
nere nullum inter litteratorum officia, & molestius sit, & con-
temptius haberi soleat, a multis, quamquam, quod saeculo no-
stro honori est, ex sapientum numero exclusis.

Attamen ne sic quidem, quae pro scholis publicis dixi,
inaniter disputata sunt. Nam si deest idoneus ad docendum
magister, ex priuata institutione aequè minus multos expectare
licet progressus, quam ex publica: in illa quoque, nisi docens
suo officio intentus sit, discentes, si vel duo sint numero, vel
vnicus, cum socordi duce videmus languescere aut aliena
agere. Deinde vero, si vel maxime aliquantum facilius haec sit,
ob numerum minorem, facilioresque hic profectus, cogitandum
quoque, quam acres diligentiae, hinc & profectuum

stimulos det aemula virtus. Lucan.

in publicis scholis, qui domi excitari nequeant. Quam ob rem
omnium ab vtraque parte commodorum incommodorumque
iusta si ineatur ratio, hoc inde cogi posse arbitror: eodem sum-
to praeceptore, siue praeclaro siue mediocri, aequalem fere
ad singulos suos discipulos vtilitatem, ex laboribus eius re-
dundaturam esse, siue publice plures, siue priuatim pauciores
erudiat.

Denique vero, si vel rarissimi sint, qui absolutam pub-
lice instituendi rationem sciant sequi, omnino tamen non dari
eiusmodi, immerito diceretur. Excitentur modo ingenia, &
neque potestas neque voluntas adeo rara erit, uti nunc est. Id
enim, quod in prouerbio dicitur: *adsint Maecenates*, non *de-
erunt*

runt Marones, hic quoque locum habet. Sint modo, qui iusta laborum statuunt premia, ut & pretia. Magna enim ad laudabiliter munere suo fungendum inuitatio, est ipsa muneris dignitas: sint Principes, qui eruditos, ingenii animique vires iuuentuti erudiendae impendentes, curent foueantque, & qui defunctos hoc multi sudoris officio per aliquot annos, ad alia munerera prouehant: ut paucis absoluam, sint modo Principes, qualem nostrum veneramus FRIDERICVM.



Anzeige der zu haltenden Reden und Gespräche.

Von Mecklenburg, von der Lübe und Mozet werden gegen Schmidt den jüngern, die Vorzüge öffentlicher Schulen vertheidigen, von Barner der jüngere aber wird dieses Gespräch unterbrechen, und die Colloquenten zu der Feyerlichkeit des Geburts-Tages auffordern.

Krüger wird in einer deutschen Rede darthun, daß ein Fürst durch die Ausbreitung der Wissenschaften seinen Ruhm verewige.

Souhr, der ältere, wird in einer französischen Rede einige Mecklenburgische Fürsten preisen, die sich vorzüglich um die Ausbreitung der Religion verdient gemacht haben.


Walter, der jüngere, wird in einer lateinischen Rede von den Fürsten des Mecklenburgischen Hauses reden, die eine besondere Liebe zur Gerechtigkeit haben hervor leuchten lassen.

Schmidt, der ältere, von Schack, der jüngere, Zünemöder und Petri untersuchen in ein Gespräch, die Frage: Ob ein Mensch gegründete Ursachen zur Schwermuth und beständigen Mißvergnügen haben könne?

Thiefing wird in einer Italiänischen Rede von den rühmlichen Bemühungen Mecklenburgischer Fürsten reden, die die Künste und Wissenschaften in den Flor gebracht haben.

von Barner, der ältere, schildert in einem deutschen Gedicht die stufenweise durch die Bemühungen grosser Fürsten Mecklenburgs erhöhte Glückseligkeit und Flor unsers Vaterlandes.

Lobrede auf den Durchlauchtigsten Herzog.



Quamquam in
me occupatus sit ma
cere oportet omnibus
eo semper haereat,
specta memoriaeque
Sic enim tirones insti
cum solis prouectiori
erioris ingenii discipu
rogando experiatur,
di potius ad alia. At
moram in aprico est;
semper enim aliquid
saepius eadem, & ver
femina prima vice
descant.

Hac igitur ra
tas in quibusdam, non
commodum, quam in
illic, id eius est conseq
studiorum genere ead
tempus, quod ad con
exercitationibus ab illi

Ad calcem fo
Constare equidem ex
aeque in disciplinis pe
id fieri potuisset in inf
eorum impediri, nequ
gistrum prudentem &
opus est, si regularu
Et cum eiusmodi viri

iusuis ordinis docendis maxi
men, quae proponit, condu
ero, vt in iisdem rebus vsque
bus, & hebetioribus, sint per
ec opus est, nec fieri debet.
dixi, tanquam agendum esset
igitur docens viderit ab ala
m comprehendi, quod inter
esse non debet, sed progre
m ratione, hisce nullam necti
minus illis utilis erit opera:
plurima elabantur; & cum
currant, non dubium, quin
lent altera, & tertia euir-

r, ingenii quoque imbecilli
is publicis adferre poterit in
tione. Tam enim hic, quam
modi pueri diutius in eodem
asse haereant: ob longius
nsuetudinem in huius classis
um est.

no, at vero ad caput rei.
, iuvenes in scholis publicis
eodemque tempore, quam
ata; neque hoc multitudine
modo ducem habeant, ma
exercitatum. Hoc autem
m aliquis esse debeat vsus.
qventes sint, negari nequit,
maxi-

